

V C  
2564





24.





H. 25, 25.

V c  
2564

ORATIO CONSO-  
LATORIA,

IN OBITVM

ILLVSTRISSIMI PRIN-  
CIPIS D. FRIDERICI SAXO-  
NIÆ DVCIS, FILII ILLVSTRISSIMI  
*Principis & Domini, D. Augusti Ducis Saxonie  
Electoris &c. Recitata publicè in Aca-  
demia Vuitebergensi*

A

M. Martino Oberndorfero  
30. Ianuarij, Anno 1576.



VVITEBERGÆ

Excudebant Clemens Schleich & An-  
tonius Schöne.







# ORATIO CONSOLATORIA.



*M*NIBVS NOBIS VT RES SE-  
se dant, ita magni atque humiles sumus,  
inquit Comicus, imitatus fortasse Ho-  
mericum illud:

τοῖος ἔστι νόος ὅστις ἐπιχθονίων ἀνθρώπων  
ὄϊον ἐπὶ ἡμᾶς ἄγχι παλῆς ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Sic enim ordiri me faciunt stimuli intestini doloris, & pu-  
blicarum calamitatum, cum earum quæ nos premunt,  
tum quæ imminent aculei, qui insident & vrgent permo-  
lestè, nec vllius sermone requiescunt: Tantum diuinitus  
monstrata consolatione præfringi & obtundi possunt.  
Etsi vero domestica vulnera nostra peracerba sunt: οἰκεία  
γὰρ πῖεσι: tamen publicarum ærumnarum scrupuli mul-  
tò acrius stimulant & pungunt, ceu sunt bellorum ru-  
mores, hominum insoliti furores, docentium feralia dis-  
sidia, dogmatum confusiones, Tyrannorum parricidia:  
les lanienæ, Rerum publicarum ruina, salutarium guber-  
natorum paucitas, tum recens ex immatura & improu-  
sa morte tantæ spei ducis Friderici Saxoniae Electoris  
Augusti filij, de repente iniectus terror. Hæc ubi semel  
insederunt pijs & prouidis mentibus, non possunt non  
vehementer angere & sollicitare, cum fieri non pos-  
sit, quin cogitationes subeant animos, qualis futura sit  
posteritas, quæ Religio, Respublica, disciplina, qui de-  
nique mores, rebus omnibus ad interitum vergentibus.

Ferrea profecto huic mens est in pectore clausa,  
quem hæc non commouent. Nam si fortitudo est non

A ij affici



affici metu vel impendentium vel iam vrgentium miseriarum, equidem mollissimum me fateor esse, qui sollicitudinem de posteritate circumfero ingentem; nec aliud requietis habeo, nisi cum coetus nostros intueor, ac diuinarum promissionum certitudine conuictus, certo statuo, Filium Dei custodem esse Ecclesiae suae moesta, eumq; & Ecclesiam, & in hac docentium & discantium coetus & hospitia mediocria seruaturum esse.

Quod enim mali genus non in Germania solum regiones, sed exteras quoq; non incubuit, vel eas attigit saltem; Bella spectes, famem, contagionem, ostenta & prodigia, insolitas tempestates, eluiones, ventorum horrendos flatus, magnorum principum & salutarium doctorum acceleratos obitus: Vix angulum reperias, quo te cunq; vertas, quem aut non inundarint, aut non alluerint tantorum malorum fluctus, hoc proximo decennio, quod decessionem sanctissimae animae Philippi Melanthonis est consecutum. Inter has calamitates filius Dei assidens in his parietibus Rector atq; Doctor seruauit agmina docentium & discantium, & dissipata collegit, refecit & confirmauit. Et quod silentio praeteriri non debet, his finibus nostris, qui ab hoc oppido propius absunt, praeter omnibus alijs Germania partibus, partem hac annorum decade & paulo amplius fuit. Hoc tantum beneficium vt diuinæ clementiae soli acceptum feramus, & gratis animis in congressibus nostris celebremus, & necesse & pium imprimis est.

Itaq; gratias agimus tibi iuste & misericors Deus, quod in ira tua misericordiae recordaris, & quia Deus es, non omnem iram tuam in nos effundis, sed mitigas Ecclesiae tuae & singulis pijs suas miseras, nec finis fieri vniuersalem rerum omnium vastitatem, sed propter Mediatorem



torē seruas aliquod sanctū semen, eiq; nidulos et Halcyonia mediocria cōcedis. Confitemur tibi nos miseros peccatores esse, & dolemus, quod offendimus te, & coram te prostrati precibus & lacrymis, petimus non tam nostrae iusticiae, quae nulla est, fidentes, quam freti tua misericordia, vt remittas nobis peccata nostra, & mitiges deinceps quoq; poenas publicas & priuatas, propter filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, & propter tuam gloriam, vt te in tota aeternitate celebremus, & tibi gratias agamus.

Hac praefatus, cum dicendum mihi ex hoc loco sit, ad argumentum me confero, quod ab euentu tristi & acerbo, qui de improviso accidit, instituere libuit, vt in hoc publico bonorum luctu, dolori nostro seruirem.

Omniū sapientum libri pleni sunt querimoniarum, quibus illi rerum humanarum inconstantiam, vitream conditionem, fragilitatem, & repentinas atq; inopinatas fortunae vices, mortem deniq; ipsam incassum deplorarunt, cum & causas calamitatum, & consolationum fontes ignorarent: non aliter atq; indoctus ac imperitus aliquis Medicus aegroto assidens, morbi exaggeratione, & sola commiseratione, nulla ostensa medicationis spe, molestus potius quam gratus & utilis eidem foret. Ita enim Solon cōcludens de fugacitate & miseria humanae vitae, πᾶν, inquit, ὄντιν ἄνθρωπος συμφορᾶ, Homo hoc totum quod est, calamitas est. Pindarus vero, ἐφήμεροι, inquit, καὶ σκῆτᾶς ὄντα ἄνθρωποι. Somno quidem nihil est fugacius: & reperit tamen Poëta hoc ipso aliud inanius, bestiolas vocans homines, quae vnum diem supersunt, & vmbrae somnium. Sic Herodotus vitam hominis & fortunam illius omnem volubili rotæ confert, cum ita scribit, κύκλος ἀνθρώπων πραγμάτων περιφερόμενος οὐκ ἔσται τοῖς ἀνθρώποις

A iij

τοῖς



τοῦ ἀεὶ εὐτυχῆ. Et sunt verè quidem res mortalium cir-  
culus, qui in orbem incitatus iucunda & tristia versat.  
Quare cum eodem die, quo natus est Alexander Ma-  
gnus, pater Philippus Potidæam cepisset, & Illyricos du-  
ce Parmenione vicisset, & Olympiaco certamine eque-  
stri victor declaratus esset, in hoc concursu bonorum  
audita vox Philippi fuit: O fortuna, misce his tot & tan-  
tis bonis paruum malum. Non enim credebat Rex præ-  
senti fortunæ, cum quid serus vesper vehat incertum, &  
ea sit vicissitudo rerum humanarum, vt secundis aduersa  
sa, iucundis tristia succedant.

Sed cum animus humanus in hanc vicissitudinem  
solum intentus, nec conuersionum causas agnoscit, nec  
tutum prospicit portum, quo delatus fluxu refluxuq; re-  
rum æstuario tandem conquiescat, dolore afficitur planè  
funesto & inæstimabili. Commemorabo igitur, quæ ex  
doctrinæ diuinitus patefactæ liquidissimis fontibus de  
calamitatibus & morte, deq; veris & efficacibus conso-  
lationibus comportauit, & è sensu doloris præsentis con-  
texui, non dubitans quin ea grata & commoda futura  
sint pijs omnibus, cum eadem fortuna maneat omnes,  
varijs commutationibus obnoxia, & commune sit omni-  
um mori.

Postq; Deus ad imaginem suam hominem condi-  
disset, & mandatum illi dedisset de arbore scientiæ boni  
& mali, in eo primum mentio fit mortis, & quidem æter-  
næ, quæ omne genus mali in se continet, & primos pa-  
rentes à lapsu der repente obruit. Vt enim ante lapsum  
ambo erant integerrimi, præditi vita, iustitia, sanctitate,  
voluntatis libertate non impedita, pleni diuinæ lucis &  
sapientiæ, sine vlllo pauore & metu: Ita postq; se liberè  
auerterunt à Deo, obtemperantes Diabolo, facti sunt rei,  
&



& excusso Rectore Deo, qui fons est vitæ, auulsi sunt à Deo conditore, quo cum copulati fuerant ea συμπαθεία, qua corpus cum capite colligatum est: & desierunt esse domicilium Dei, perdiderunt lucem noticiæ Dei, quæ antea in eis fulserat, τῷ λόγῳ in ipsis habitante, amiserunt dilectionem Dei, & congruentiam voluntatis & cordis cum Deo, quæ regebatur à Spiritu sancto: Fecerunt & vitæ iacturam. Successerunt igitur in mente hominis tristissimæ dubitationes de Deo, in voluntate & corde contumacia erga legem Dei & fremitus contra Deum, coniuncti cum horrendis doloribus & morte, quæ est destructio naturæ abiectæ, & vermis instar immortalis animam fauciat vellicatione ac morfu, & velut ignis ἄσβεστος eandem vrit & depascit, & opprobrio afficit sempiterno.

Fuit igitur hic lapsus ianua omnium scelerum & miseriarum posteritatis, in quarum deploratione omnium sapientum eloquentia apud Ethnicos consumpta est. Et quidem extincti fuissent Adam & Eua terroribus mortis, nisi audita promissione, quam protulit & enunciauit ex sinu æterni Patris ὁ λόγος, sensissent se recipi à Deo per misericordiam, propter Semen promissum, & rursus viuificari. Ita igitur reconciliatis parentibus intercessione Mediatoris, & in gratiam repositis, pœnæ imponuntur à Deo, mors & aliæ calamitates huius vitæ. Quia Deus etsi remittit culpam, & aufert mortem æternam, tamen propter iustitiam aliquas pœnas imponit, & vt ipsius iustitia & ira aduersus peccata conspiciantur, totum genus humanum horribilibus miserijs in hac vita onerat. In his pœnis tamen promittitur Ecclesiæ consolatio præsentis & auxiliij diuini in calamitate, & mitigationis ærumnarum, vt eas non modò ferre, sed perferre  
etiam



etiam possit hæc misera natura, denique & liberationis, vel in hac vita iuxta consilium Dei, vel in altera: ut tum quoque Deus ipse vestit primos parentes pelle detracta ab ouicula, qua significatum est fore, ut nouis corporibus vestiamur, & quidem sumptis ab agno Christo.

Etsi vero mors huius vitæ poena est peccati: tamen in credentibus simul hanc habet utilitatem, ut ipsa & sese terminet, & finis sit omnium ærumnarum, quibus cum hæc vita conflictatur. Deus enim misertus ærumnosæ & miserandæ conditionis, qua viuendum nobis in hoc mundo fuisset, donec ad aliam longè meliorem vitam traduceremur, decretum fecit immensa bonitate, quo generi humano decurtatas huius vitæ miseras terminauit, cum inquit, Puluis es homo, & in puluerem reuerteris: hoc est, quia etiam reconciliato tibi propter Mediatorem, sudandum nihilo minus est in hac vita, ut tibi tuisque victum quærites, & perferendæ sunt omnis generis ærumnæ, ut peccati inhærentis commonefactus premas illud, & ut iustissimæ iræ diuinæ aduersus peccata sensu afficiantur omnes posteritui: ego igitur non modo iustus, sed & misericors Deus, qui te ex æternæ mortis dominatu, & tristi seruitute & tyrannide Diaboli, immensa bonitate per filium vindicaui, tibi que poenas æternas condonaui: Ego inquam etiam in corporali & breui temporis interuallo definita poena, seueritatem iustitiæ diuinæ temperamento misericordiæ mitigabo, tibi que & posteritati tuæ hanc calamitosam vitam præcidam, & dissolutum corpus tuum redigam in puluerem, ut ex hoc misero ergastulo liberatus, & laboribus defunctus, in sepulchro tuo velut in cubili & lectulo gratissimo conquiescas tandem, expectans in suauissimo somno, qui per fugium est omnium ærumnarum, resurrectionem gloriosam



gloriosam Mediatoris, aut diem vniuersalis instaurationis, quo in victoria mors absorbebitur, & miseriae omnes finem habebunt, & credentes in veterem dignitatem & libertatem restituentur, perfusi luce, iustitia & vita sempiterna.

Ex hac narratione apparet, cur Filius Dei in historia Euangelica mortem huius vitae somnum appellet. Deus enim in suo mandato, quod ante lapsum voluit esse se testimonium obedientiae erga conditorem, de aeterna morte concionatur, quae vt totum genus humanum per peccatum inuasit, ita omnes impios in hac vita serius aut citius opprimit, & verè est vermis rodens & velliscans conscientiam, & ignis inextinctus, & opprobrium sempiternum, vt Esaias inquit capite vltimo.

At Filius Dei Dominus noster Iesus Christus initio eius noctis, qua à Pontificijs comprehensus est, cum in hortum orandi causa secessisset, cum morte & peccatis nostris, pro quibus ipse mortem subiturus erat, acerrimum sustinuit certamen, adeò vt in illa ingenti lucta *θρόμβοι* seu sanguinis guttae vnà cum sudore è cute ipsius in terram emanarent. Oppresserat enim pientissimum pectus Saluatoris terror mortis, & horribilis irae diuinæ aduersus peccata generis humani conspectus. Etenim omnes procellae diuinæ indignationis cum ingente impetu in ipsum irruerunt. In hoc certamine victa & prostrata à Christo mors aeterna, & potentia sua priuata, nec capiti Christo, nec membris ipsi fide insertis, metum afferre amplius, aut internecionem inferre potest, quae in extremo die tota abolebitur, cum Deus sub pedes electorum prouoluet omnes Ecclesiae hostes, & pios in possessionem restituet iusticiae & vitae aeternae.

B

Vocat



Vocat autem æternam mortem Iohannes Euange-  
lista secundam, quia in impios prima morte extinctos læ-  
uit, vim suam exercens, & horrendis cruciatibus torquet  
in omnem æternitatem, quorum sensu etiam in hac vita  
affecti indignantes intereunt, vitaq; cum fremitu fugit  
indignata sub umbras. Vt enim prima mors discessus  
est animæ à corpore, ita secunda discessus est Dei ab ani-  
ma. Adest quidem Deus etiam damnatis, ad sustenta-  
tionem & conseruationem quod attinet, sed non adest  
eis ad viuificationem & consolationem, sed relinquit eos  
in desperatione perpetua maximeq; miserabili. Congruit  
itaq; in hos Sileni illud, quem à Mida captum in venas-  
tione & interrogatum, quæ nam res homini optima fo-  
ret, & omnium maxime expetenda, initio nihil respon-  
disse aiunt, sed tanq; mutum tacuisse. Deinde cum vis  
adhiberetur dixisse ad Midam: O semen non durabile  
natum ex calamitoso parente, & misera fortuna: quid  
me cogis dicere, quæ nescire te melius esset. Nam vita  
ignara suæ miseriæ minus habet doloris. Homini-  
bus non nasci longe optimum est, alterum vero natos quam  
celerrime interire. Manent enim hostes Dei omnes im-  
pii, & excruciantur dolore æterno. Itaq; mors ipsorum  
pessima, quorum & natiuitas mala, & vita peior est, ut  
inquit Bernardus. Et Deiphobus apud Virgilium ex-  
clamans, significat qualis sit vita impiorum: Namq; ut  
extremam falsa inter gaudia noctem egerimus nosti &c.  
Tota vita impiorum nox est, plena tenebrarum, hoc est,  
ignorationis Dei, & permanentium bonorum. Habent  
igitur falsa & fugacia gaudia, quorum mutatio facilior  
est, quam muscæ quantumuis celeriter volantis, & per-  
terrefacit animas ipsorum scelerum conscientia, & sensus  
iræ Dei. Nullus autem maior est dolor quam is qui pec-  
cati



cati mucrone vulnerat, & nullum grauius onus est, quam peccatorum sarcina & pondus flagitiorum.

Sed quod ad primam illam & momentaneam mortem attinet, ea homini reconciliato ex gratia imposita est à Deo, & magni beneficii loco, & pro lucro habenda, quam Filius Dei cum dulcissimo somno comparat. Et verè aliud nihil est, nisi suavis & tranquilla quies, omnibus, qui in vera agnitione & inuocatione Mediatoris ex hac vita discedunt. Itaque Bernardus exclamans, Preciosa inquit mors est sanctorum, & planè inquam preciosa, vt quæ & finis laborum est, & victoriæ consummatio, et aditus & ianua ad vitam & securitatem æternam.

Filius Dei, qui omnium perfectissimè introspicit creaturas suas, & genus institutorum & rationum suarum integrè nouit, qui solus etiam magnitudinem peccati, & iræ diuinæ, & poenæ atrocitatem intelligit: Is igitur audiendus est nobis, dux vitæ & dominus mortis, & verbis eius, quæ spiritus & vita sunt, habenda fides: Ita fiet, vt ne mors huius vitæ, vel imago potius mortis, ceu φόβητος aliquod terrorem nobis iniiciat, sed potius consolationem afferat. Etsi enim natura hominis reformidat mortem & dissolutionem sui, tamen ille terror non est Gorgonis, vt magnopere metui à pijs debeat, sed eius instar, quam Mormo Græci vocant, speciem quandam ad percellendum puerorum animos idoneam, & huic tantum ætati terribilem, ridiculam cæteris.

At Filius Dei gratiore etiam voce Mortem somnum vocat. Vt igitur dormientes nequaquam mortui sunt: aut sicut granum frumenti in terram proiectum ac sepultum, vitam retinet suam, nec nisi corruptum & dissolutum foecundius resurgit: ita corpora sanctorum humata, vitam viuunt absconditam, quæ nec sensu percipi,

B ij

nec



nec verbis explicari potest. Non enim mori vis illa vitæ  
lis potest, quam Deus verbo & spiritu suo viuifico in pri  
ma creatione humanæ naturæ inseuit, cum ad immorta  
litatem non solum animam, sed corpus quoq; conderet;  
sed sopita virtus illa, corporibus quieti datis, & somno  
placante artus languidos, cupidè expectat latissimum  
illud momentum, quo Filius Dei, sol iusticiæ, in nubibus  
se ostendet generi humano, & voce atq; tonitru excita  
bit omnes quos humus iniecta contegit, & è sepulchris  
& cubilibus educet pios corporibus vestitos spirituali  
bus, vt Paulus loquitur, quæ proximè accedent ad simi  
litudinem sui corporis ex morte resuscitati, & viuificabit  
eos, effundens in beatos suam mirandam lucem, sapien  
tiam, iustitiam, lætitiã & vitam.

Hæc vis est vocis qua Filius Dei vtitur, momenta  
neæ mortis imaginem nobis pingens. Nam æterna illa  
victa & protrita pijs est per Christum. Momentanea  
omnibus obrepit, tam pijs quam impijs, ob peccatum,  
quod in natura hominum reliquum est, nec extirpari an  
te decessionem aut status mutationem potest, qua hoc  
quod caducum est & mortale, integritatem & immorta  
lis vitæ conditionem induet. Interea credentes conditi  
one sunt longè meliore, quam soli merito & efficacæ  
Christi acceptam ferunt. Nam mors illis lucro est, non  
solum quia liberat pios ab omnibus malis, quibus cum  
in hac militia præliabantur, sed hoc multo magis, quod  
aditus illa est ad æternam consuetudinem cum Deo, qua  
nihil beatius, nihil bonis omnibus affluentius cogitari  
potest.

Non igitur credens moritur, non vita credentis ex  
tinguitur, sed miseria illius interit. Deniq; quicquid est  
in natura hominis imbecillitatis, labis, turpitudinis, mor  
talitas



talitatis, omne id mors finit, ipsa se quoque terminans. Piorum autem exuuia atque cineres sancti viuunt in manu Dei, mirando modo, & suauiter dormiunt & quiescunt in cubilibus suis, & spe certa expectant verum illud tempus perpetuum & latissimum, quo est putribus puluisculis corpus exurget nouum, plenum gloriae, potentiae, claritatis, iusticiae, sapientiae, aternitatis.

Horum nihil est in vita aut morte impiorum. Siue enim viuunt illi, perpetuo dolore torquentur, nec felicitate fruuntur firma, aut stabili: sed quouis Euripo mobilior: seu mors inuadit eos, ploratus edunt, & pleni indignatione fremunt aduersus Deum, & ad mortis aut sepulchri mentionem exhorrescunt: Alij doloris impatientia manus sibi afferunt, & vitam ferro eripiunt, salutem desperantes suam, & ad inferos recta descendunt. Dormiunt & ipsi in sepulchris, & somnus eos complectitur: sed insuaui & horrificus, & quietis expers, non aliter ac si quis graui sopore oppressus incidit in varia visa & formidabilia, vel ex reliquijs inhaerentibus earum rerum, quas vigilans gessit & cogitauit, vel speciebus a Diabolo oblati, quarum perturbatio & horribilis formido somnum interrumpit, & variè afficit hominem, ut subinde experrectus deliranti similior sit. Cum verò ad iudicis vocem suscitati est sepulchris prodibunt, (nam & scelerati resurgent ad immortalitatem) reuiuiscet in eis mors, & aculeis punget, & agitantur & insectantur eos furiae, non ardentibus tædis, sicut in fabulis, sed angore conscientiae, fraudisque cruciatur.

Verissimè igitur dictum est: Mortem peccatorum pessimam esse. E fumo in ignem, è pluuia in tempestatem incidunt. Beati autem, qui in Domino moriuntur, hoc est, qui migrant ex hoc fragili domicilio in vera agnitione

B iij

tionem



tionem Dei, & Fide accipientes Remissionem peccatorum, verè sunt electi, & ad quietem colliguntur: sicut Dominus inquit: Si quis verba mea audierit, mortem non videbit in æternum: non ruet in mortem æternam, nec sentiet damnationem, sed erit in læticia & vita perpetua. Imo cum fit dissolutio corporis, habet in seipso iam inchoatam vitam, nec est oppressus terroribus iræ Dei. Et si enim sancti quoque gustant mortis acerbicatem, & sentiunt eius ictus atque stimulos, & cruciatus percipiunt infernales, tamen paruo momento pro dolore læticia, pro lacrymis risus reducitur, & redit aurea cum luce iacentes exhilarans animos voluptas. *CHRISTVS* enim vita piorum est, cuius fiducia migrantes obdormiscunt, & pacis beatæ fruuntur bonis, metus & pavoris expertes, veluti puer lactens & sugendo defessus, somno consopitur, & quietis dulcedinem risu significat.

Ac ne quis miretur, quod dicimus sepultos viuere, & quiescere in sepulchris: Et oculis enim cernimus, & experimur in nobis ipsis, dormientes nequaquam mortuos esse, sed viuere, tamen si nec scire possumus, quomodo conuiuentes consopiamur, nec quid secundum quietem agamus. Præterea Embrio clausus in vtero matris viuít, vitam penitus absconditam, & ab acie humanæ mentis remotam: Vt igitur auferat à nobis metum mortis Filius Dei, & nos ad moriendum alacriores faciat, ipse mortem subit, & æternam illam pessundatam occidit, momentaneam autem mitigat, & dulci nomine somnum appellat, simul docens non ante ad beatam quietem peruenire pios, quam in sepulchra inferantur. Quemadmodum baiulus quispiam aut mercede conductus operarius, lassus cursando, ferendo, opus faciendo, somnum appetit, & lautissimis dapibus præfert. Quis sanæ mentis

tis



is homo, cum hæc inculcantem audit Filium Dei, beatam migrationem ex hac fugacissima & miserrima vita, in eam, quæ sola vita nominanda est, non experat. Quem non desiderium clari conspectus Dei, & liberationis à toto peccato inflammet, vt ex animo dissolui cupiat, & esse cum *CHRISTO*. Quemadmodum enim nocturnus viator expetit solis exortum, ita pijs ex hac caligine educi & frui luce optant, nō solis quidem eius, mundum qui illustrat vniuersum, sed luce ea, quæ è diuina mente profundens sese, & fouet eos, quos ad se euocauit, & inuitat cæteros, qui lucem eam intueri volunt, ac per eam tenebras mortalitatis effugere.

Porro Filium Dei pingentem nobis momentaneam mortem similitudine dulcis somni imitantur Prophetæ & Apostoli omnes, & vnanimi consensu demonstrant, nihil non boni in impiorum beata migratione esse. De qua festiuè & piè admodum Poëta:

*In damno lucrum est & in ipso funere fœnus.*

De Patriarcha Iacobo scribens Moses: cum is vales dixisset, inquit, filijs suis, facto testamento, dixit se congregatum iri ad populum suum: qui credidit in semen promissum, & in agnitione eius seminis, quieti sese dedit, & expectat resuscitationem Messiaë, aut vltimi iudicij diem, quo Filius Dei è sepulchris excitatos sanctos domum ducet, & tradet regnum Deo patri. Forma loquendi est frequens in veteri testamento, translata à messe, quæ nonnunquã pro collectis frugibus & prouentu vsurpatur. Baptista eadem vtitur locutione, cum inquit: Filius congregabit triticum suum in horreum, paleam autem exuret igni inextinguibili. Sunt enim dispersi Christiani in hac vita, vagi & exules, vt Pharaoni respondet Iacob,

Iacob,



Iacob, de vitæ curriculo interroganti: Dies annorum peregrinationis meæ centum & 30. anni sunt, pauci & mali. Deus igitur singulari bonitate sepulchra instituit, in ea inferri suos & colligi vult, quemadmodum agricolæ in granaria conuehunt demessas fruges, aut in metas componunt.

Esaïas expressius etiam: Iustus abit, inquit, & nemo est, qui id corde expendat, & viri sancti abripiuntur, & nemo est, qui intelligat. A facie maliciæ abreptus est iustus, & veniet ad pacem, & requiescent in cubilibus suis, qui rectè ambulauerunt. Hic locis sepulturæ nouum nomen imponit Propheta, & cubilia ea vocat destinata quieti, laboribus & miserijs defunctorum. Veteres Iudæi domum viuentiū & cæmeterium, seu dormitorium vocarunt locum humationis: Nos agrum Dei appellamus, in quem defunctorum corpora inferuntur, & ceu semina sparguntur, vt fecundiora exurgant. Abigail vxor Nabalis pia & modesta fœmina, loquens de anima Davidis, verbo vtitur eleganti, deducto ex Gynæcæis, vbi mundus muliebris & κερμίδια colligata reponuntur extra quotidianum vsu: Anima, inquit, domini mei erit ligata in fasciculo viuentium. Et colligit enim Deus & reponit diligentissimè tenues puluisculos, & omnia ossa piorum, & vnum ex ijs non conteretur aut peribit. In pondere verborum magna consolatio inest: Cum ex hac vita discedimus, Angeli præsto sunt, & animas & exuuias nostras colligunt in fasciculum, & in gremio Christi, vt Lazari animulam & Stephani spiritum deponunt, vbi tantisper asseruantur tanq̃ cimelia & preciosi vniones, donec Filius Dei proferet thesauros suos, & toti mundo spectandos cum admiratione exponet.

Veniam



Veniam mihi dari velim adhuc vnum atq; alterum  
testimonium adducenti, contra terrores acerbae mortis.  
Non enim diris & execrationibus arcetur Mors, nec me-  
tu & formidine effugimus illam, nec fannis & risu abi-  
gimus: Nam vniuersae terrae viam ingredi oportet om-  
nes, vt inquit Dauid, & statutum est omnibus homini-  
bus semel mori, teste Apostolo. Sola fide euitare acerbi-  
tatem mortis possumus. Nulla igitur efficacior medici-  
na est contra mortem, quam verbo *CHRISTI* credere,  
eoq; se erigere & sustentare. Ita eludere Mortem cum  
Paulo possumus, & praesente animo dicere: Mors nihil  
est iustis victae nisi mortis imago, Vita mihi Christus,  
dulcia lucra mori.

Attendite igitur adolescentes duo testimonia, in-  
primis insignia, quorum alterum Pauli est, alterum Petri  
Apostoli. In epistola ad Philippenses ita inquit Aposto-  
lus: Mihi vita Christus est, mors lucrum. Ex animo igi-  
tur dissolui cupio, & esse cum Christo. Quale lucrum in  
morte sit Paulo, ante diximus. Amittimus enim in mor-  
te punctum, cuius nulla ad caelum ratio est, & momento  
relicto migramus in aeternitatem, quam nulla circumscri-  
ptio temporis metitur: Deniq; finita & breuia cum in-  
finitis & immensis commutamus. Recte ergo mors  
Christianorum κέρδιον & habetur & nominatur. Ad al-  
teram vocem quod attinet, Graecus textus habet ἀναλῦσαι,  
quod discedere significat atq; migrare, vel abitum para-  
re, sicut καταλύειν diuerti & commigrare, & κατάλυσις di-  
uersorium atq; hospitium. Sensus igitur est: Cupidita-  
tem habeo ad decedendum & migrandum, seu paran-  
dum iter, quod nimirum est ex hac misera & laboriosa  
vita ad beatam quietem abitus.

Tota haec vita nostra migratio quaedam est, nec in  
C terris



terris stabilem sedem aut domicilium certum habemus, sed in corporibus commoramur tanquam in hospitio, non tanquam in domo. Vnde  $\sigma\omega\mu\alpha$  quasi  $\sigma\tilde{\upsilon}\mu\alpha$  dictum putant, quod sit tanquam sepulchrum vel carcer quidam anime. Nihil aliud igitur in hac vita peregrinationis nostrae meditemur, nisi quia hic non semper erimus, ibi nobis locus cum bene viuendi ut preparemus, vnde nunquam migremus, ut inquit Bernardus.

Audiamus si libet Ciceronis  $\kappa\acute{\upsilon}\kappa\nu\epsilon\iota\omicron\rho\ \delta\sigma\mu\alpha$ , quemadmodum Græcis est in prouerbio. Ita enim senex scribit de senectute, quod scriptum, ut pleraque alia, diuinitatis quiddam spirare videtur. Quod si quis Deus largiatur mihi, ut ex hac vita repuerascam, & in cunis vagiam, valde recusem, nec vero velim quasi decurso spacio à calce ad carceres reuocari. Quid enim habet hæc vita commodi, quid non potius laboris? sed habeat sanè: habet certè tamen aut facietatem aut molestiam. Non libet enim mihi deplorare vitam, quod multi & hi docti sæpe fecerunt. Nec me vixisse poenitet, quoniam ita vixi, ut me frustra natum non existimem: Et è vita hac discedo tanquam ex hospitio non tanquam è domo: Commorandi enim natura diuersorium nobis non habitandi dedit. O præclarum illum diem, cum ad illud animarum concilium cœtumque proficiscar, & cum ex hac turba & colluione discedam. Hactenus Cicero. Equidem non accerso Paulum Ciceroni interpretem. Ineptum enim fuerit vel prophanum etiam & impium, si quis Apostolum ex hoc ergastulo ad beatos filij Dei complexus suspirantem, cum homine Ethnico: aut illos Spiritus sancti luce & lætitia diuina ardentes gemitus, cum obscuris & fugacibus philosophiæ somnijs comparare instituerit. Sed tamen agnouit etiam humana sapientia natura duce, vitæ huius conditionem,



ditionem, & nescio quid de alio quodam vitæ commercio suspicari & quasi diuinare ausa fuit. Quid igitur vetat admirari in tanta rerum & autorum diuersitate verborum similitudinem? & vel lucem atq; pondus ornatissimorum verborum addere rebus, rectius intellectis, vel ab exemplo hominis ab Ecclesia alieni nostram nobis exprobrare φιλοψυχίαρ. Libenter se migraturum ait ex hac vita, non tanquam indigenam è domicilio suo, sed velut hospitem è diuersorio. Quid ab homine ethnico sanctius dici potest? Hospitio tantisper vti licet, donec hospes iubeat exire. E domo sua nullus facile pellitur, & tamen hinc quoq; sæpenumero propellit vel ruina, vel incendium, vel alius casus. Non minus elegans est, quod apud Platonem loquitur Socrates: animam humanam in hoc corpore velut in præsidio positam esse, vnde fas non sit decedere iniussu Imperatoris, nec diutius in eo commorari, quàm visum sit ei, qui collocauit.

Illud significantius est in Platone, quod pro domo dixit præsidium. Siquidem in domo tantum commoramur, in præsidio destinati sumus functioni, quam nobis delegauit Imperator noster *IESVS CHRISTVS*: aludens ad sacras literas, quæ vitam hominis nunc militiam, nunc certamen vocant. Iam illud cum audimus: ô præclarum diem: & quæ sequuntur, nonne videmur ipsius prope Pauli audire verba, Cupio dissolui? Quamquam fefellit profecto miserum & cœcum hominem sua expectatio: Paulum non fefellit, cui exploratum erat, se futurum cum Christo. Nec illum fefellit haud Paulo beatior senem, qui post præstitam sibi fidẽ oraculi, quod à Spiritu Sancto acceperat, simili cum sensu spiritualis gaudij exclamat: νῦν ἀπολύεις τὸν δούλο σου, hoc est, nunc mihi seu ex hospitio aut carcere isto proficiscendi venis

C ij am



am das, seu ex militia honestissimam & beatam indulgentiam, viderunt enim oculi mei salutare tuum.

Sunt qui verbum dissoluendi urgent, & sententiam eliciunt maximè consolabilem: Homo enim ex glebosa terra compositus & formatus est, vt ex argilla subacta, vasa fingit figulus, aut si cui arrident verba Hiobi: Manus *DEI* formarunt hominem, sicut lac densarunt, & sicut caseum coagularunt eum. Ad dicit autem: Sicut lutum fecit eum Deus, & in puluerem resoluet. Quia enim peccatum inuaserat & corruperat massam, non poterat firmus esse coalitus, sed dissolutione relaxanda massa fuit. Gleba terræ sumus omnes, & luti manipulus: Deus autem verbo & Spiritu suo viuo, rationales creaturas & immortales miranda potentia nos finxit, nec dissolutioni obnoxium fuisset hoc præclarum opus, nisi contracta rubigine erosum esset: aut nisi luti lentæ ædificij tigna carie excisa labarent, multoq; iam domus facta esset deterior, dissipatis ijs, quæ optimè constructa erant. Sed vt necesse sit hoc opificium in cinerem redigi dissolutum, tamen certò statuimus, Deum ex veteri luto, & resolutis glebulis nostris nouum corpus mirando artificio excitaturum, & in veterem dignitatem atq; gloriam vindicaturum esse.

Accedo ad alterum Petri Apostoli, qui in posteriore epistola sua ita scribit: Iustum arbitror, quam diu sum in hoc tabernaculo, excitare vos per commonitionem, cum sciam breui futurum, vt deponam hoc tabernaculum meum, quemadmodum dominus noster *IESVS CHRISTVS* significauit mihi. Congruit hæc sententia cum oratione Pauli, qui scribēs Corinthijs, Cœlestem mansionem, quam expectamus post hanc vitam, *οικίαν* vocat,



vocat, & οἰκητήριον, hoc est, domū siue domicilium. Ceterum hoc corpusculum vocat tabernaculum seu σκένωμα. Nam &, qui sumus, inquit, in hoc tabernaculo ingemis scimus grauati. Vide morem scripturæ: Hominem ψυχικόν cum omnibus suis viribus & actionibus, aut organo vocat, aut ὀσφάκτιον σκένος, aut scenam vel tabernaculum. Christus viam massam suam templum vocat Iohan. 2. Destruite templum hoc, & in triduo erigam illud. Sic sancti in hac vita templa vocantur Dei viuētis, in quæ diuertit Deus cum verbo & spiritu, & habitat in ijs: Diuus Paulus ἐπιγείρεσθαι οἰκίας appellat piorum corpora, hoc est, terrena domicilia, in quibus homini renato degendum est, donec destructis illis, οἰκίαν ἀχειροποίητον, αἰώνιον ἐν τοῖς οὐρανοῖς, hoc est, domicilium non manu factum, æternum in cœlis, quod Deus exædificabit, occupet. Quid dici potuit iucundius? Quam non consolationem in se habent hæc dulcissima dicta? Quod mundus vocat mori, & vitam cum morte commutare, aut etiam interire, Apostoli diuinitus edocti migrationem dicunt ex veteri & malè materiato, & ruinoso domicilio, imo ex mortali & squalido corpore in luculentam & perpetuam & cœlestem domum: aut vestem laceram & pannosam cum noua & preciosa purpura commutare. Quid enim est aliud hæc misera, fœda, & nullis non vitijs affecta massa? Imo ipsa hæc vita secundum naturam & naturæ coniuncta cum omnibus viribus suis, quid aliud est quam vitiosa casa, & squalore & sordibus opletum tugurium, aut vetusta & lacera pellis, aut vas contusum & fathiscens, aut tentorium vetustate detritum, & ventis atq; imbribus peruium, sub quo commorandum nobis & peregrinandum est. Hoc vitiosum & labans ædificium, dirui oportet, vt nouum & luculentum



extrui & perfici diuina ratione cum operæ tum artificij possit, in quo habitandum perpetuo erit.

Idiomata & proprietates nouorum corporum videre licet ex Paulo. Ait enim nos habituros corpora ex veteri cinere & substantia: sed incorruptibilia, gloriosa potentia & spiritualia: & ad Philippenses scribens, addit quartum Idioma glorificationis. Magna vis est harum vocum, quæ euolui paucis non potest. Confert enim schemata noua cum veteribus. Et primū quidem φθορὰν cum ἀφθαρσία. Vocat autem σῶμα φθαρτὸν, quod corruptioni subiacet, & caducum est, & momentaneum. Est enim infectum veneno serpentis, & putrefactum atque dissolutum materia est, è qua serpentes nascuntur. Hanc corruptionem intelligit Paulus, quæ est sepulti & humani corporis in puluerem resolutio. Germanica appellatio euidentior & plenior est. Notat enim essentiæ prioris & formæ amissionem.

Vtitur eodem capite Apostolus alia voce, & χοϊκὸν σῶμα appellat, hoc est, testaceum, & fragile. xῆς enim ollam seu vas fictile significat. Etsi enim in sacro fonte renascitur homo, & incrementum fidei affert dies, tamen peccatum in hac vita penitus extirpari nequit, quod erugo quædam est, corpus arrodens & exedens. Huic opponit Paulus ἀφθαρτὸν σῶμα, hoc est, immortale, incorruptum & integrum, nulli alterationi obnoxium, sed in omnem æternitatem durans corpus, ætate integra atq; constante, quemadmodū legimus corpora terrena quædam ἀφθαρτα esse, & in igni durare, vt aurum & gemmas, & Salamandram, quam Græci μόλυβη vocant, & tres viros in fornace Babylonica: aliæ deniq; in alijs elementis stabilia permanere. Et Moysen perhibent sacrae literæ ætate fuisse perpetuò integra atq; constante.

Deinde



Deinde ἄλιμον σῶμα comparat Paulus cum glorioso, quod ἐν ἄλιμον vocat καὶ ἐν δόξῳ, plenum venerandæ maiestatis & splendoris. Quid ignominiosius est corpore humano? si peccatum respicias, si naevos, morbos, corruptionem. Contaminatissimum est & impurissimum contagione, quæ ab vno profecta manat in omnes. Dein flagitijs inquinatum propè innumeris. Præterea morbidum est, & tabidum, putridum atq; sordidum: in quibusdam monstrosa figura horribilis est & formidolosa. Nullum autem sub hoc sole cadauer est hominis mortuo corpore tetrius: Occultatur igitur sub terra, defoditur aut comburitur: Moyses diuino iussu vetat attingere mortacina. Pollinctores qui cadauera lauant atque vnguentis illinunt: Libetinarij & Vespillones qui ea exportant, & humum aperiunt, inuisi sunt omnibus: scatent sepulcra vermibus. Nam è putrefacto homine serpentes nascuntur & bufones. Adeò deformauit naturam humanam omnium præstantissimam peccatum, & corpus ipsum membraq; effecit inhonestissima. Sed resurget idem corpus maiestate & gloria indutum, ornatum omnibus donis, sanctitate, iustitia, sapientia, nihil habens immundi, obscœni, spurci, referēs imaginem Dei, quod in se omnium Angelorum oculos cum admiratione conuertet. Adde etiam pellucidum, & hoc sole clarius.

Sed videamus etiam reliqua Idiomata, quibus à resurrectione ornabuntur beatorum corpora, quo certius nobis persuadeamus, nihil non boni in piorum morte abditum latere, & nostra esse solum dulcia lucra mori. Sepeliri ait corpus humanum ἐν ἀδενείᾳ, resuscitandum ἐν δυνάμει. Hic rursus σῶμα ἀδενές comparat ad δυνάτορ. Est ἀδενές Græcis idem quod infirmum. Tale est corpus nostrum morbis obnoxium, nullis non repletum

miser



miserijs, omni auxilio egens, spretum deniq; & abiectum  
ἡσὶ πάντων σῶμα ταπεινώσεως, vt Apostoli verbis vtar ad  
Philipp. 3. Trecenta morborum genera sunt, quibus ten-  
tari homo & affligi potest. Nunq̄ igitur consilio, ope  
atq; opera non indiget, nec vnquam absoluitur hoc opus  
quin semper sit opus. Infantiam spectes, adultam æta-  
tem, virilem, senectam, vbiq; egentissimus est. Nullus ad  
hominem sub sole vermiculus comparandus est, imbe-  
cillitate, egestate, miseria, ærumna. Nascitur in fletu, vi-  
tæ quoq; tempora fletu. Transigit, & fletu funera nostra  
madent. Rectè igitur Iob: Homo putredo est, inquit, &  
filius hominis vermiculus. Pindarus bestiolam hominem  
vocat vnius diei. At hoc calamitosum corpus resurget  
in potentia, hoc est, erit potens, firmum, validum & sa-  
num, nullius indigens. Addo etiam ἐνδελεχῆς, qualia  
sunt cœlestia corpora, quæ filius Dei in Matthæo δυνά-  
μεις vocat. Et robore igitur & vegeta vi Atlantem sus-  
perabimus, & Simsonem resuscitati ex morte, oculorum  
acie Aquilas & Lynces, velocitate ceruos, valetudinis  
firmitate Tithonum atq; Moysen. Quid multa: Con-  
formes erimus glorificato corpori Domini nostri **I E S U**  
**C H R I S T I**, vt Apostolus loquitur ad Philippenses scri-  
bens.

Postremò pro corpore animali affirmat nos rece-  
pturos spirituale. Quid scriptura vocet ψυχικὸν σῶμα pas-  
lam est, nimirum cibo indigens & potu, somno, vestitu,  
remedijs, & alijs adminiculis seu fulcris, quæ sunt penè  
innumerabilia. Primus enim homo factus est in animam  
viuētem, vitam vitalem Ennius appellat, nos naturalem,  
quæ constat nutritione, augmentatione & generatione,  
sensu deniq; & motu.

Sed quod σῶμα πνευματικὸν dicit, mira profecto res  
est, &



est, & nouus & inusitatus loquendi mos. Quæ enim ratio corporis ad spiritum? qui vt Christus inquit, nec carnem nec ossa habet. Certum est autem verum corpus constans carne & ossibus resuscitatum iri, quemadmodum Hiobus inquit, & Concilium Africanum statuit.

Antiquitas quatuor dotes recensuit, quibus humana corpora beatorum ornabuntur, Claritatem, impassibilitatem, agilitatem & subtilitatem. Ad has respexisse dicitur Apostolus conferens verum corpus, quod videri, tangi & palpari potest cum spiritali, qualis est angelorum natura. Non igitur nutritione indigebit, non augetur, non generabit, sed proximè accedens ad similitudinem corporis *IESV CHRISTI* ex morte resuscitati splendet solis instar, aut stellarum, aut spirituum etiam cœlestium flammis corruscantium: E conspectu abire, vbi volet, poterit, montes quoque penetrabit, & suo ipsius motu sursum feretur, viuet in igni, in aquis: Et vt breuiter dicam, desinet esse vitale seu naturale, & indutum Idiomatis spiritus, viuet cœlestem & angelicam vitam. De agilitate & claritate scriptum est cap. 3. Sapient: Iusti fulgebunt, & tanquam flammæ in arundineto discurrent. Et Paulus inquit: Sicut stellæ differunt claritate: ita erit resurrectio, hoc est, erunt gradus donorum. Item Augustinus, Credere inquit, debemus, talia corpora nos habituros, vt vbi velimus, quando voluerimus, ibi simus: vbi volueris eris, sed à cōspectu Dei non recedes.

Hæc sunt Idiomata omnium corporum beatorum, quæ quidem humanæ rationis aciem longè superant. Apparent autem in verbo & creaturis, tanquam in ænigmate & simulachro: Sed maximè in glorificato corpore Domini nostri *IESV CHRISTI*, qui sua potentia transformabit τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, vt conforme fiat cor-

D

pori



pori gloriae suae. In hanc igitur *παλιγενεσίαν* aut Metamorphosin defixis oculis intuentes Apostoli, ardent cupiditate migrandi, quod supremus ille dies non extinctionem, sed commutationem afferat & conditionis & loci.

Et ut ad Petrum reuertamur, hic cum à Deo nunciatum esset, ut exiret è vita, lætus & agens gratias obtemperaturus est, emittiq; se è custodia & leuari vinculis credit, ut in eternam illam nouam & planè suam domum remigret, deposita & relicta, ut ipse loquitur, vetere, caliginoso & sordido gurgustio.

Equidem in prima conditione Deus Adamo scenam extruxit, perfecitq; omni cura & diligentia cū operæ tum artificij; hanc contemplabantur Angeli, & opus laudabant, & mirabantur, & fabrum prædicabant. In hoc domicilio ad exemplum & similitudinem suam ædificato ipse habitare voluit.

Verum postq; in has ædes immigrauit astutus & improbus spiritus, eiusq; ut fit, similis familia euasit, detrimentum atq; damnum datum est illis maximum: Ex luculentis enim immundæ factæ sunt, & nitorem suum perdididerunt. Ibi tempestas eas oppressit, quæ tanq; grandine tectum sanctitatis & iusticiæ perfregit. Dein alius imber errantium flammarū & libidinis largissimis aquis in cor delatus omnia penitus madefecit. Hic diluit amorem Dei, fidem, obediētiam, virtutem, detriuitq; omnem fermè utilitatem. Iamq; huius ædificij tigna carie exesalababant; itaq; afflicta erant, ut nulla ratione sarciri illud posse videretur, & periculum erat, ne penitus corrueret. Sed filius Dei eiecto grassatore Diabolo, etiamnum restituit ædes, tegit, sarcitq;, & sustinet quoq;, & in eas iterū cum verbo gratiæ & Spiritu sancto suo diuertit.

In hoc



In hoc igitur vetusto, ærumnoso, sed virtute Filij Dei fulso tugurio, tantisper commorandum homini renato est, donec noua illa & cœlestis ædificatio, quæ Paulus *οικοδομὴ ἐκ θεοῦ ἢ οἰκία ἀχδρῶποικτον αἰώνιον ἐν τῆς οὐρανοῖς* vocat, absoluta penitus fuerit. Quicquid igitur in labefacta & collapsa fermè humana natura corrigitur & instauratur in hac vita, diuina virtute, id nequaquæ moritur. Sed veterem hominem interire necesse est, & in cinerem resolui, è quo deinceps nouum illud & æternum domicilium, plenum venerandæ maiestatis, extruendum est, non aliter atque è putrefacto grano emergit corpus, & infinitis partibus ornatius exurgit.

In hoc augustissimum & splendidissimum domicilium nos exules exhæredesque postliminio reducti, restituemur in possessionem illius hæreditatis, quã idem Apostolus describens, mira vtitur *ἀναβάσις*, vt eam accuratè ab huius vitæ bonis discernat. Vocat enim *κληρονομίαν ἀφθαρτον, ἀμίκτον, ἢ ἀμάρτανον*. Quicquid est sub hoc cœlo diuitiarum aut voluptatum, omne id fugax est & euanesces: aut ægritudine interueniente contaminatur, aut hominem ipsum abusu polluit, aut vt maximè durabile sit et solidum, certè tamen fastidium & satietatem habet. At cœlestis illa hæreditas nec desinet vnquam, nec infuso aceto mœsticię corrumpetur, nec tædium aut satietatem habitura est vllam. Sine fine, n. Deum videbimus, sine fastidio amabimus, sine fatigatione laudabimus, vt inquit Augustinus: Et sicut de Amarantho referunt scriptores Philosophi, quod decerpi gaudeat, & lætus renascatur, & vbi cuncti flores eius defecere, aqua conspersus reuiuiscat, & hybernis coronis materiam suppeditet: de Amianto vero, quod Elychnia faciat, quæ, igni adeo non absumentur, vt vestes ex ijs textæ & sordidatæ, igni purgentur: Ita in hæ-

D ij

reditatis



reditatis aeternae & corruptionis expertis possessione con-  
stituti, aeternum floreant, purpureo Christi sanguine,  
quo conspersi in hac vita fuerunt conspicui, & perfusi  
flamma Spiritus sancti ardebunt perpetuo, ut cum ex  
materia lychni flamma fit, ab igne accensa.

Hac igitur commemorare in praesentia de causis  
humanae mortis & calamitatum omnium, & de veris  
consolationibus, quae mortis & miseriarum terrori ma-  
gno cum successu opponi possunt, volui, ut dolori nostro  
intestino & domestico non modo blandirer, sed etiam  
medicinam facerem, in quem nos mors inopinata, &  
perluctuosum funus Ducis Friderici, Saxoniae Principis,  
omnes coniecit, ostentans imaginem quandam, eorum  
quae euentura sunt, maxime formidabilem. Non solum  
enim afficit nos parentum illustrissimorum moeror, ac tot  
generosissimae indolis filiorum Ducum, in quibus praesi-  
dium fore his regionibus firmum ac perpetuum speraue-  
ramus, desiderium triste & acerbum: Sed prospicere nos  
bis videmur futuram tempestatem, quae religioni simul  
atque regioni, & honestis studiis, & bonis moribus interitum  
allatura est horribilem. Ita enim in scriptura sacra  
praedictum est: Propter peccata populi subinde mutari  
principes, & regnum a gente ad gentem transferri, & e  
medio sublatis bonis, alios substitui non salutare Duces.  
Tales mutationes non fiunt sine magnis calamitatibus,  
ut verissime dixit Xenophon: *πᾶσαι πολιτειῶν μεταβολαὶ  
θανατηφόροι*: & de seditionibus inquit Thucydides: *ἐν πάσῃ  
πᾶσα ἰδέα κακῶ ἐστίν*.

Proponamus nobis Iosaphatum principem lau-  
datissimum. Nam & amans ille fuit verae religionis, &  
bellator felix, & iudex iustissimus. Sunt enim haec offi-  
cia boni gubernatoris; τὸ στρατηγῆμ, hoc est, foris bello ar-  
cere



cere hostes, & depellere latrocinia, alterum τὸ δικάσασθαι  
 καὶ τὰ δίκαια διανέμειν, domi tueri & administrare iustici-  
 am stabilientem thronum, καὶ τὸ ποιῆσαι εὖ, καὶ ἐνεργετῆρ τῶν  
 ὑποταγμάτων, hoc est, paterno affectu consulere commo-  
 ditatibus populi, & esse publicolam. Tertium τὸ θεοραπεύειν  
 θεόν, quod est vera pietate colere Deum, fouere & tue-  
 rias Scholas & Ecclesias. Talis igitur verè fuit Iosaphat,  
 Imperator bonus, iudex iustus, & Sacerdos sanctus, &  
 planè νόμος ἐμψυχός. Sustulit enim idola, & Sacerdoti-  
 bus seuerissima mandata dedit de inspectione Ecclesia-  
 rum & Scholarum, & de emendatione religionis ad nor-  
 mam verbi diuini directa. Ac disertè historia vitæ ipsius  
 mentionem facit inspectorum, seu vt vulgò dicitur, visi-  
 tatorum, qui omnia oppida terræ Iudæ peragrabant, cir-  
 cumferentes secum legem Domini, iuxta quam examina  
 & doctrinæ emendationem instituebant. Fuit etiam  
 autoritate tanta præditus, vt vicinis regibus omnibus  
 terrori esset. Præterea opibus & fortunis floruit tantis  
 quidem, vt exercitum aleret, in quo vndecies centena  
 millia fortissimorum militum essent. Vicit Ammoni-  
 tas sine prælio, vt victoria testimonium esset præsentia  
 Dei in isto populo, & doctrinæ veritatis. Constituit eti-  
 am Senatum Ecclesiasticum in vrbe Hierosolyma, & in  
 deligendis iudiciorum gubernatoribus obseruauit le-  
 gem Nauticam, vt neminem ad gubernacula,  
 nisi prius ad remos sedisset. In oppidis autem singulis  
 curias iudicum politicorum, & in vrbe regia summum  
 iudicium ordinauit, & iudicibus summis atq; infimis pia  
 mandata dedit, quæ in Paralipomenis recitantur. Sub  
 hoc pio rege, & sapientissimo doctore excitauit Deus  
 Elifæum, qui Eliæ fuerat auditor, quorum gubernatione  
 repurgata & propagata doctrina Ecclesiæ fuit ad poste-



ros, cum cœtus haberent discipulorum, qui eos magna frequentia & assiduitate sectarentur.

Huius Regis gubernationem si conferamus cum illustrissimo Principe nostro, Saxoniae Electore Augusto, nihil fecerimus *καλασθησάντων*: Quid enim in Gubernatore bono virtutis est, & non est in hoc nostro Principe. Pietatem spectes, quæ omnium virtutum est fundamentum: Hic sanctus Sacerdos doctrinæ cœlestis puritatem, & optimarum disciplinarum lucem, Dei beneficio huc usq; nobis præstat incontaminatam, & sublati Idolis, blasphemijs & impijs dogmatibus curat magnopere, ut populus rectè doceatur, ut Scholæ floreat, ut iuventus rectè educetur, ut noster ille Elias & Eliseus, & horum discipuli, operæ, merita, sint in honore: deniq; ut conseruetur in his terris vera de Deo & filio eius *IESU CHRISTO* notitia, & ad posteros propagetur, & coalantur alia virtutis studia. Quid multa: Huius Augusti Electoris pietas, non solum officio, sed exemplo etiam prodest Imperio Romano, cum illius illustre exemplum hac in parte multi alij proceres sequantur. Beneficentiam vero illius erga Scholas ostendunt magnifica legata, quibus vel hanc nostram Academiam amplificauit, posito monumento ad memoriam laudum pietatis & magnificentiae sempiternam. Iustitiam si attendas, quæ thronum stabilit: quod vnquam Imperium bonis legibus administratū est, quarum non modo simulachra & vestigia, sed expressas quoq; res, ad quas leges omnes diriguntur, non hic cernis, quæ supplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos. Estq; princeps ipse verè *ἠμψυχος νόμος*, qui nullas victorias, nullos triumphos, nullos deniq; in Imperio honores, pluris facit, quam gubernatorem esse obtemperantem legibus, nec à Regula discedentem,



dentem, nec à se ipso degenerantem, sed qui contineat se intra metas legibus circumdatas, vt Diotogenes & Plato locuti sunt.

Quia vero hæc omnia aut negliguntur aut deseruntur, cum vastationes fiunt bellis aut latrocinijs, nihil vnquam hoc sancto & iusto principe pacis & tranquillitatis honestæ studiosius fuit. Intelligit enim sapiens princeps quam sit anceps Mars, & dubia belli fortuna, & quam nihil sit stultius relicto certo, sectari incertum: deniq; pax optima rerum, quas homini nouisse datum est: Pax vna Triumphis innumeris potior. Semper igitur paci honestæ consuluit, nec vnquam bellum suscepit, nisi cum maior emolumentis spes quam damni metus ostenderetur. Nam minima commoda magno sectantes cum discrimine, Augustus Cæsar similes aiebat esse aureo hamo piscantibus, cuius abrupti damnum, nulla captura pensari posset.

Factum igitur fuit, vt sub hoc patre patriæ, Augusto Electore, & studia doctrinæ colerentur ac flourerent, & iudicia iustè exercerentur, & soboles rectè educarentur. Atq; hæc virtutes authoritatem huic Principi peperere tantam, quæ Imperio Romano honorifica sit, & exteris gentibus formidabilis: nec harum virtutum illius, pietatis, sapientiæ, iusticiæ, beneficentiæ, fortitudinis, & in omni re moderationis præcones defuturi sunt, si qua grata erit posteritas.

Sed vt ad Iosaphatum reuertamur, quid porro acciderit attendite. Euocato enim rege Iosaphato, gubernatores secuti sunt mali & infelices, Idolatræ, parricidæ, πολυπράγμονες, sacrilegi, qui mutato iam & translato à stirpe Salomonis regno ad posteros Nathan, exteros hostes attraxerunt, qui Iudæam populati sunt, & templum  
spolia



spoliarunt. Nec dubium, tantæ calamitati causam dedisse  
se populi sub rege pio Iosaphato ingratitude, nec nõ  
sequentem impietatem, religionis contemptum, & alia  
scelera.

Est enim verissima vox Prophetæ: Propter peccata  
populi, Dominus auferet Bellatorem, iudicem & Pro-  
phetam; Suntq; initia ruinae regnorum & ciuitatum vni-  
uersaliter talia, vt primum orbatae ciuitates vel gentes sa-  
pientibus gubernatoribus, tumultuentur inter sese, & ir-  
ritent alios. Et cum in his certaminibus vtrinq; vires la-  
befactatae sunt, postea vel seditionibus domesticis dissi-  
pantur, vel opprimuntur ab externis hostibus, vt tristis-  
sima exempla omnium ætatum ostendunt.

Cum itaq; hodie similia fiant, quis non metuet sal-  
tem euentus quoq; similes fore, quos Deus clementer  
auertat, cum fatales coniecturæ de futuris rectè suman-  
tur ex ijs, quæ olim acciderunt, & de similibus eodem  
modo iudicandum sit. Contemnitur enim Religio, do-  
minatur iniusticia, concidit Magistratus & legum au-  
thoritas, & disciplinæ veteris seueritas in flagitiorum  
omnium impunitatem & licentiam degenerat turpissi-  
mam: deniq; vitia omnia fiunt mores, estq; verissimum  
quod de furijs Lucanus dixit:

*Non iam opus est furijs tantum mirantur & astant  
Spectantes hominumq; dolent plus posse furores.*

Quotus vero quisq; est, qui hoc ingens Dei bene-  
ficium agnoscat, & grata mente celebret, quod sub hoc  
laudatissimo Principe Augusto, sacri Imperij Septem-  
viro, vel summis in genere humano ducibus nulla virtu-  
tum laude cedente, annos iam viginti tres, grata quiete  
& tranquilla pace fruimur, à metu & periculis bellicis,  
&



& ab hostium rabie securi atq; immunes, in clarissima  
Euangelij & artium omnium luce.

Non do hoc auribus optimi Principis, cuius ipsa  
virtus atq; pietas satis sibi laudi est, nec alieno eget pre-  
conio: Sed cum hæc parui fiat à pluribus, aut non ita, vt  
par erat, aestimetur atq; expendatur, non obscure ostendit  
Deus, quid consecuturum sit, qui nos vt è veterno  
exuscitet, ex tanto Principe natos duces octo, in quibus  
virtutis paternæ, & quæ propria est profapia Saxonicæ  
laudatissimæ, propagata semina, spem manifestam da-  
bant, quales illi futuri fuissent, vix ostensos hisce terris,  
atq; adeo Imperio Romano vniuerso, quasi inuidens eos  
huic ingrato seculo, mox iterum eripuit. Non enim tam  
simus vecordes, vt cogitemus hæc casu ita accidisse, aut  
*ὑμωρίας* esse certorum delictorum in hac familia, vt mul-  
ti hypocritæ fingunt: sed hæc tot principum clades, quæ  
parentibus pientissimis *δοκιμασία*, nobis verè est *ὑμωρία*,  
hoc est, impietatis & iniusticiæ & petulantia seu proter-  
uitatis nostræ pœna. Hæc enim talia sunt, quæ abomi-  
natur Deus, propter quæ fame, peste, bellis, intestinis dis-  
cordijs, & exterarum gentium incursionibus absumit,  
dissipat, delet totas gentes, vrbes & familias.

Et has quidem clades publicas, cum alijs in rerum  
natura prodigijs portēdit, tum Principum bonorum at-  
que salutarium obitu prænunciat, vt conciones extent,  
quibus aliqui ad pœnitentiam reuocentur.

Quod vero nō protinus sequuntur pœnæ, nec cun-  
cta vno delētur impetu, id misericordiæ diuinæ feramus  
acceptum, sicut Ieremias inquit: Misericordiæ Domini  
quod non consumpti sumus. Huius igitur magnitudi-  
nem consideremus, & oremus filium Dei, vt ipse suo  
spiritu nos regat, & ducat, ne in talia peccata, quæ pœnas

E

fatales



fatales ac publicas accelerant, aut nostra culpa aliqua ru-  
amus, aut Diaboli impulsu præcipitemur, neue sponte  
accerfitis furoribus, vt multi proh dolor faciunt, depel-  
lamus dona, quæ hæctenus conseruauit nobis misericors  
Deus, & irriremus iustam iram Dei, ac pœnas ordine  
iusticiæ diuinæ decretas iam, & ceruicibus nostris immi-  
nentes ne nobis attrahamus.

Qualia machinetur hostis filij Dei & Ecclesiæ ca-  
pitalis Diabolus, palam est: quæ sit multorum rabies, &  
sophistomania, constat id quoq; inter omnes, nec deplo-  
rari satis potest, si tot lacrymas profunderemus, quot hic  
Albis noster vndas vehit.

Quare pœnitentia & ardente inuocatione, & vite  
modestia flectere conemur Deum, vt nostras Ecclesias  
& hanc miseram & afflictam Academiam, & honeste  
constitutam politiam & familias nostras clementer ser-  
uet, & sub hac amplissima, florentissima & Augustissi-  
ma arbore tanquam in tutela & præsidio latere quam  
diutissimè nos patiat, nec ramis & fructibus suis pror-  
sus hanc spoliet, sed augeat potius & extendat.

Deinde afficiamur mœsticia & luctu tanti Prin-  
cipis, & nostram commiserationem non modo gestu &  
voce, sed intimis quoq; cordis motibus & ardentibus  
votis ostendamus: nec cogitemus ideo paruam hanc esse  
se iacturam, quia in parui infantis animula facta est, quæ  
tamen nullo modo interiit, sed viuit in Christi gremio,  
solida voluptate perfusa, summisq; in cœlo permista dus-  
cibus: sed existimemus, & nos duce optimo, & Impê-  
rium Romanum hoc ipso pueri casu iam octauum ma-  
gno columine orbatum esse. Hoc modo & luctum le-  
niemus parentibus mœstissimis, & proderit exemplum  
nostrum posteritati.

Etsi



Etsi vero in dolore iusto sumus omnes, nec probamus stoicam ἀπάθειαν, in hac præsertim orbitate nostra, & honorum gubernatorum paucitate: tamen simul cogitatione voluntatis diuinæ & æternæ beatitudinis, quã promissit suis filius Dei, quos ex hac vita euocat, mœsticiam moderemur, & paulatim animos erigamus, ac principi defuncto potius æterna bona gratulemur, quam nostra iactura angamur, & desiderium ipsius leniamus conspectu virtutum, quæ in parente illustrissimo eminent.

De hoc quoties cogitamus, gratias agamus Deo, quod Ecclesiæ tale ornamentum dedit, & ipsum sine intermissione oremus, vt tantum Principem, in quo cum à Deo discedimus, omnis nobis posita spes est, & quo saluo salui omnes sumus, clementer conseruet, & in huius Iosaphati stationem, Illustrissimum Principem Christianum filium, & natos natorum collocet, quorum pietas, virtus & authoritas Ecclesiæ & his regionibus sit salutaris.

Confidimus etiam, quæ virtus est pientissimi Principis Electoris Augusti, ipsum quoque non frena immodicè laxaturum dolori iustissimo: Sed & fati legibus & Deo concessurum esse, nec immoderatus laturum id, quod mutari non potest. Et quia sapientissimus Princeps intelligit, quanti intersit huius regionis, & Imperij Romani, & Ecclesiæ Christi, se diu incolumem & florentem esse, non ipse sibi vim immodico luctu afferre, nec sua culpa nos omnes & duce & patre priuare volet, sed in spem potius eriget sese certissimam, fore vt & suo & ex se natorum clementissimo imperio hæ regiones ad extremum vsque diem feliciter vtantur fruantur.

Tribuet enim Deo, princeps εὐσεβέστατος & laudem

E ij

omnis



omnipotentiae & veritatis, qui è duobus totum genus  
humanum propagauit, & p̄ij Ionathæ posteritatem vsq̄  
que ad tempus exilij Babylonici conseruauit, tota stirpe  
Saulis deleta: qui etiam ex vnius effœtæ & sterilis  
anus vnica sobole mascula Isaaco, vniuersam Iudæorum  
gentem procreauit, tanto quidem numero, quanto sunt  
stellæ cœli, & arenæ quas littora maris voluunt innume-  
rabiles: quod miraculum Esaias amplificans, Attendi-  
te, inquit, qui sequimini iusticiam, & qui quæritis Do-  
minum: respicite ad petram, vnde excisi estis, & ad  
Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit  
vos, quoniam eius vnicum vocaui, & ei benedixi &  
multiplicauit eum: quasi dicat, Ingens miraculum est,  
quod rupes Moylis virga percussa, largos fontes effu-  
dit, qui potum vniuersæ multitudini præberent: sed hoc  
etiam maius est, quod ex sene patre, cuius iam erat cor-  
pus mortuum, & ex matre non solum sterili, sed effœta,  
nascitur Isaac, qui tantæ multitudinis hominũ extitit pa-  
ter: Idem ergo παντοκράτωρ ἢ ἀληθέστατος Deus, per vnius  
superstitis filij principis Christianum sanguinem, & no-  
men & genus paternum amplificare, & posteritatem  
illius vsq̄ ad finem mundi producere facile poterit, cum  
verissima sit vox diuina, Generationi rectorum benedi-  
cetur, cum qua dictum congruit veteris Poëtæ, εὐσεβέων  
παίδεσι τὰ λώϊα, δυσσεβέων δ' οὐ: quam promissionem De-  
us verax & potens, in nostro quoq̄ iusto & pio Princi-  
pe Electore Augusto, & huius illustri filio Christiano,  
pro sua clementissima voluntate vt præstet, ardentissimo  
pectore optamus, & t̄ filium Dei, dominum nostrum  
*I E S V M C H R I S T V M* supplices oramus omnes, vt  
nobis in triste naufragium proiectis adsis gubernator &  
rector, qui hoc languidum Imperij corpus fulcias, & re-  
liquias



liquias aliquas ex medijs vndis & procellis eripias, è quibus Imperij columnas excites: Principem nostrum clementissimum Ecclesiæ tuæ & huius scholæ nostræ nutricium beneficium, & filium Christianum Principem Illustrissimum, cum Regia matre, valetudine integra & statu florente longo tempore serues, ac tuearis, vt perfrui Celsitudinis ipsorum protectione pia, iusta, & munifica, non hæc modo Prouincia, sed exteræ quoq; gentes possint, quæ coniunctæ nobiscum in eadem causa religionis sunt, & Deum fiducia Mediatoris rectè inuocant. Incidimus in vltimam mundi senectam, quæ sua natura delira est, & auget hominum furores Diaboli rabies, qui ante vltimum iudicium magna agmina secum abripere in æternum exitium conatur. Circumacta etiam fatali periodo regnorum, magnæ instant conuersiones & confusiones.

Quare tu ô fili Dei clementer adsis nobis, & mitiges Ecclesiæ tuæ ærumnas, et nobis singulis nostras misérias lenias, & aliquod tibi inter nos sanctum semen serues, & hos imbecilles coetus inter ipsa pericula bellorum, contagionum, & famis, tamen defendas.

Excites quoq; in nobis desiderium deponendi hoc σκῆνωμα, vbi visum tibi fuerit, & incurrendi in sinum atq; vlnas tuas, & viuendi in æternum.

Non temerè aut fortuitò creati sumus, sed profectò iustus & misericors Deus est, qui generationi piorũ consuluit, nec id genuit aliutq;, quod cum exantlasset omnes labores, ærumnas, difficultates, mortis deniq; illius momentaneæ acerbítatem, tum incideret in mortis malum sempiternum, sed portum preparauit pijs & per fugium, coelum ipsum, quod extinctionem habet agritudinum molestiarum, terrorum peccati & mortis, & bonorum



omnium abundantiam: quò utinam velis passis fidei & spei & secundis ventis Spiritus sancti peruehamur. Hac consolatione, quæ est è doctrina cœlesti fructus vberissimus, resistamus terroribus mortis & alijs tentationibus, & cum Poeta credamus & sonemus:

*Hospitium est orbis terræ mortalibus ægris:  
Migrandum est aliquando pijs, non semper in illo  
Herendum: curis quid inanibus angeris hospes  
Ille sapit, quicumq; facit, quodcumq; necesse est,  
Nec falsas venatur opes, sed sustinet omnem  
Æquo animo sortem, certus superare ferendo,  
Certus in æternæ patriam migrare salutis.*

Alia θελητήρια ἢ παραμύθια efficaciora noui nulla, in quibus acquiescere animus moestus cum sensu lætitiæ possit, ad quæ cum velut ad sacram ancoram confugiemus, hoc funesto rerum statu, experiemur nihil esse aliud sub hoc sole, in cuius sinum extillari lacrymæ & consijci cum querelis curæ, quæ animos arrodunt & depascunt, queant.

His præsijs qui instructus est atq; munitus aduersus tela fortunæ quæcumq;, hic intra fines moderati doloris se continere potest. Agnoscit enim qua lege, quaq; conditione nati simus omnes: quæ itidem vera sint, solidaq; bona, ad quæ consequenda non nisi per mortem & huius vitæ amissionem aditus patet.

Cætera quæ huic momentaneæ militiæ inseruiunt, quam sunt instabilia & caduca: quæ vel nos deserunt, vel à nobis deseruntur vniuersa. Scit idem huic vitæ miseræ portum esse constitutum humationem, & requiescere in sepulcro credit corpus ab anima separatum, in  
aliam



aliam sedem animam migrare, quam beatorum omnium augustissimus cœtus incolit: Iamq; diem dictum, quo illa sociam massam suam diu desideratam recuperata est, conditione longè optima, de qua iam antè multa diximus.

Postremò eam videt esse horum temporum infelicitatem, ac rerum omnium perturbationem, vt nisi cū ratione insanire velit præter honestam & piam ex hac vita migrationem optare sibi ipsi suisq; planè queat nihil. Deniq; nec illud ignorat, ὅτι ὁρῶν θεοὶ φιλέδσει, ἀποθνίσκειν ἢ νέεσθαι, de quo & Poeta noster eleganter,

*Scis pueris cœlum deberi, ac esse beatos*

*Nec magè quo citius sidera morte petunt.*

μακρότερον δὲ ὁ βίον συμφορὰς πολλὰς φέρει.

Quamobrem subiiciamus nos in vera humilitate potenti manui Dei, atq; vbi satis datum est naturæ atq; sôργη, animos ad tranquillitatem & quietem reuocemus, certò statuentes in eo, quod præter omnem culpam nostram euenit, nihil nobis sine benignissima Dei voluntate paternoq; consilio accidisse, à quo vti sunt cuncta, ita pñs quæcunq; eueniunt non nisi optima esse, credendum est.

D I X I.



No. 258, Or

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

DIXI

hc





ULB Halle  
004 953 304

3




f









25, 25.

V e  
2564

ORATIO CONSO-  
LATORIA,

IN OBITVM

ILLVSTRISSIMI PRIN-  
CIPIS D. FRIDERICI SAXO-  
NIÆ DVCIS, FILII ILLVSTRISSIMI  
*Principis & Domini, D. Augusti Ducis Saxoniae  
Electoris &c. Recitata publicè in Aca-  
demia Vuitebergensi*

A

M. Martino Oberndorfero  
30. Ianuarij, Anno 1576.



VVITBERGÆ

Excudebant Clemens Schleich & An-  
tonius Schöne.

